



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 89. Primum Gallorum agmen coesum, & postremum suga dissipatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1525.

§. LXXXIX.

*Primum Gallorum agmen cæsum,  
& postremum fuga dissipatum.*

*Guicci. l. 15.* Postquam media acies, quam ipse Rex ducebat, ut retulimus, penitus cæsa fugataque esset, haud benigniore fortuna utebatur primum agmen, cui præerat Chabannius Marefcallus; Antonius enim de Leva cum ex Papiensi urbe eruptionem faceret, tam acriter a tergo instabat, illudque Cæsarei a fronte tam valide adoriebantur, ut una omnes jugularentur. Occubuit ibidem ipse Chabannius, cumque Alesonii Dux, qui postremo agmini imperabat, prælium instaurare pararet, a ceteris rogabatur, ut potius cum paucis suis, qui supererant, militibus fugam arriperet, quam suos certæ cædi exponeret. Horum consilium secutus, trans Ticinum ponte a Gallis imposito cum suis periculose subduxit. Ultimo tandem Montmorentiacus, qui, ut supra meminimus, ad obsidendas quasdam vias decernebatur, audito tormentorum fragore ad prælii campum accurrebat, cum vero totum Gallorum exercitum cæsum, ac quaquaversus dispersum cerneret, a Cæsareis undique cinctus in captivitatem abstrah-

abstrahitur, cæsa suorum potissima parte.

Sæcul. XVI.

A.C. 1525

§. XC.

*Occisorum, ac captivorum numerus.*

In acie cæsa, aut Ticini undis submersa sunt octo, vel ut scribit Guicciardinus novem millia Gallorum, quos inter, præter eos, quos jam paulo ante recensuimus, numerabantur Comes de Tonere, Hector Borbonii Nothus, Petrus de Rohan, Calvimontius, Bussius de Ambasia, Durafius, Turnonius, Buzancyus, Bopreus, & Sangelafius, Villemorus, & Ludovicus de Arfia. Ingens præterea captivorum erat numerus, ex quibus præcipui Henricus Albretus Navarræ Rex, Franciscus Borbonius Comes S. Pauli, Ludovicus Nivernensis, Fuxus & Montinorentiacus Marefcalli, Nothus de Sabaudia magnus Franciæ Magister, Antonius de Rupe Fucaldi, Fleurangius, *De la Roche* Brionius, Sourdus, Lorgefius, *Roche-du Maine.* potus, Montejanus, Rupe-cenomanensis, Meillarayus, Montpesatus, Boissius, Curronus, Langeyus, Montlucus, Fredericus de Bossolo, pluresque alii. Capiebatur insuper Brundusienfis Episcopus Papæ Legatus, qui tamen Lainoyi jussu mox liber dimissus est, nec minus Comes